Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

MINERALIVM MEDICAMENTORVM PRAESTANTIA

QVAM

CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN

INCLYTA ACADEMIA ALTORFINA

PRO LICENTIA

HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORVM

LEGITIME IMPETRANDI

PVBLICO PHILIATRORVM EXAMINI

SVBMITTIT

A. D. XXXI IAN. A. S. R. cIↃ IↃCC XXVII

IOANNES FRIDERICVS HERBST

KITTINGA FRANCVS.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

REVERENDISSIMO
ATQVE
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO
DN. CHRISTOPHORO
FRANCISCO
EPISCOPO VVIRCE-
BVRGENSI
FRANCIAE ORIENTALIS
DVCI
PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO
VITAM ET FELICITATEM!

REVERENDISSIME CELSISSIMEQVE PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME!



Vm optimum quemuis Tuorum, PRINCEPS OPTIME, ſubditorum certatim contendere uideam ad uenerationem uirtutum Tuarum, eminentiſſimo dignitatis Tuae faſtigio aequalium praeſtandam, TIBIque nullius, etiamſi ſortis ſimae hominis, ingratum eiusmodi cultum pietatis eſſe

eſſe intelligam, tot exemplis excitatus ego etiam non uereor accedere ad Tuum, DOMINE CLEMENTISSIME, thronum, Tuosque ad pedes deponere exiguum hoc ſtudii mei academici ſpecimen, in qualecunque ſignum demiſſae reuerentiae, qua Tuas ſingulares et rariſſimas, ſed tanto Principe dignas, proſequor uirtutes. Harum equidem ſummam ullis conſequi laudibus me poſſe deſpero, unicum tamen, quod propius ad me meamque profeſſionem ſpectat ſine omni, meo licet indigno plane praeconio, praetermittere ſpecimen nequeo, eximiam nempe illam prouidentiam, qua ciuium ac ſubditorum Tuorum ſaluti conſultum nuper uoluiſti, renouando partim et amplificando utiliſſima ſtatuta rei medicae ac pharmaceuticae, per omnem ditionem Tuam religioſe obſeruanda. Quo ipſo tam laudabili opere luculenter promeritus es, ut idem TIBI uno omnium ore tribuatur, quod olim Cicero attribuiſſe fertur Iulio Caeſari: *Nihil habet, nec fortuna tua maius, quam ut poſſis, nec natura tua melius, quam ut uelis conſeruare quamplurimos.* Patiaris igitur, CLEMENTISSIME PRINCEPS, ut illius publicae felicitatis, quam bonitati Tuae debemus, ego etiam particeps fiam, quod tunc uel maxime impetraturus ſum, ubi benigniter indulſeris, ut in patria mea ciuitate, quae Tuo gaudet mitiſſimo imperio, Artem medicam, cuius tyrocinium nuper depoſui, libere exerceam, atque ita inter

eos,

os, qui populo Tuo, in cauſa ualetudinis, ad gratioſis-
imum nutum Tuum inſeruire geſtiunt, aliquem locum
nueniam. Interea, tametſi compluribus, meæ condi-
ionis hominibus, in tanta ſeruorum Tuorum multitu-
line, facultatibus meritisque debeam cedere, pia tamen
uoluntate, & aſſiduis, pro incolumitate Tua, uotis
precibusque, concedam nemini, donec emoriar

REVERENDISSIMAE CELSI-
TVDINIS TVAE

ſubditus ſeruusque fidelis

Ioannes Fridericus Herbſt,
Kittinga-Francus.

PRAEFATIO.



Vae quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, medicina, *teſte* Seneca (*) *eiusdem aetate iam* in multiplicem peruenit uarietatem, *cum nempe creſcentibus mortalium uoluptatibus, ac per has amplificato morborum numero, plura ſubinde nouaque ualetudinis praeſidia quaeſita et inuenta ſunt. Quare non modo plantarum genus ampliſſimum maiori ſtudio pertentatum, et in uirtutes complurium curioſius inquiſitum fuit, uerum etiam ab aliis rerum naturalium ordinibus depromi coeperunt idonea morborum remedia : hinc illa* τῆς ὕλης ἰατρικῆς *ſiue* materiae medicae diſtributio, ſecundum tria, uulgo dicta, naturae regna, minerale *ſc.*, uegetabile *et* animale. *Quod ſi de* numero *ſpecierum, ſiue communiter dictorum* ſimplicium *haberetur quaeſtio, utique* plantarum *genus duo reliqua ſuperare deprehendetur* multitudine *ſpecierum, ad medicos uſus traducta. An uero idem ordo, habita* uirtutum et effectuum *ratione, primas tueri pariter queat, uix ſatis manifeſtum expeditumque eſſe puto.* Sydenhamius, *eruditione medica inter Anglos nulli ſecundus* (**) *libere quidem ſtatuit*, plantarum genus reliquae omni,

(*) Epiſt. XCV. (**) in praef. obſ. med. morb. acut. p. m. 31.

qua patet, materiae medicae palmam praeripere, et quod ſpecificorum remediorum inueniendorum ſpem uberrimam faciat; cum animalium partes cum humano corpore nimium conuenire uideantur, nimium diſſidere mineralia; unde ſit, quod mineralia indicationibus potentius reſpondeant, quam uel plantae, uel ex animalibus deſumta, non tamen ſpecifice medeantur, *eo quidem ſenſu ac modo, quem auctor ſtatuit. Circa ipſum illum modum, et* Sydenhamii *de eodem doctrinam, nulla in praeſenti controuerſia mihi erit; hoc autem paulo prolixius per exempla uaria comprobare conſtitui*, quod e minerali regno petenda remedia, *licet multitudine ac numero ſpecierum cedant uegetabilium, fortaſſis etiam animalium generi*, uiribus et effectibus non parum praeſtent, *neque minus ſecure et iucunde, quam uelociter ſanare morbos quamplurimos poſſint. Haut equidem ignoro, propoſitum hoc eiusmodi eſſe, de cuius ueritate multi parum dubitauerint, aliqui uero idem ab aliis abunde pertractatum exiſtimaturi ſint: nihilominus tamen ſpero fore, ut in modo tractationis atq; demonſtrationis, quaedam lectione haut indigna in medium proferre, aut ſaltem officio meo, pro exhibenda*, INAVGVRALI DISPVTATIONE, *apta materia, quodammodo ſatisfacere queam. Faxit* NVMEN DIVINVM, *ut hoc eueniat feliciter!*

§. I.

§. I.

TAmetſi neminem, niſi doctrinae phyſico-medicae omnino expertem, latere arbitror, quidnam MINERALIVM RERVM ac remediorum uocabulo indigitari hodie ſoleat? Omnis tamen ambiguitatis euitandae cauſa breuiter inſinuo, dictante *Lexico med. Caſtello-Brunoniano*, τὸ MINERALE duplicem habere ſignificationem; et late quidem ſumi pro omnibus illis corporibus naturalibus mixtis, quae non comprehenduntur ſub uegetabilibus et animalibus, et alias dicuntur *res macrocoſmicae*: ſtricte uero ſignificare eas res, quae participant quadantenus de metallis, ſed non ſunt perfecte talia, unde et *ſemimetalla* a quibusdam uocantur; ego uero priorem, nempe latiorem, *omne genus rerum terreſtrium, inanimatarum et foſſilium* complectentem, ſignificationem, libere dandam mihi poſtulo. Ceterum nemini contradicam, qui forte iſtud uocabulum, *minerale*, et auctoritate et etymo apud Latinos carere cenſeat: ſicuti etiam *regni* appellationem, ad illius generis rerum medicinalium accuratam deſignationem parum eſſe congruam facile conceſſerim: de reliquo autem, *uerba ut nummos ualere*, lubens permittam.

§. II.

Ad rem ipſam antequam progredior, et *eminentiores* MINERALIVM *uirtutes*, ſecundum genera praecipua ediſſero, placet occurrere quibusdam *obiectionibus*, quae moueri fortaſſe queant, et illi cumprimis, *quod mineralium remediorum materia difficillime, aut plane non diſſolui ac ſubigi a uentriculo humano poſſit*, atque ideo perperam iſta adhibeantur. Cui quidem dubio ut breuiter reſpondeam, nego primum, quod ſit de eſſentia boni cuiusuis medicamenti, ut a ſtomacho conficiatur, et in ſuccum

ſanguinemque conuertatur; cum potius auctores optimi *diſcrimen inter alimenta et medicamenta* conſiſtere ſtatuant in eo, quod illa *patiantur* in corpore, coctionem ſc. ac digeſtionem; haec (nempe medicamenta) in eodem *agant*, aut educendo aliquid noxii et ſuperuacui, aut *alterando ſiue mutando in melius*. Vtroque autem nomine multifariam et inſigniter prodeſſe MINERALIA, ſicuti generatim nemo, niſi plane hoſpes in medicina, negauerit, ita ſequentibus paginis exempla luculenta confirmabunt. Praeterea nec uniuerſe uerum hoc eſt, nulla prorſus *mineralia* in uentriculo reſolui; contrarium enim uel e ſolo ⊖ium exemplo manifeſtum eſt; ne quid de bituminibus, ſuccino, ambra dicam; ipſum ferrum, etiamſi crudum adſumtum, profunda nigredine iſta, qua feces alui imbuit, intimiorem ſui diſſolutionem a ſtomacho factam, ſatis declarat.

§. III.

Alterum, quod obiici fortaſſe mihi poſſit, in eo uerſatur, *quod mineralia, laudabilem quendam effectum editura, laborioſo admodum artificio praeparationis indigeant*, quo in plerisque uegetabilibus et ab animalibus petitis remediis nihil opus ſit. Talia ingerenti regererem ego primum, neutiquam conſtare cum praxi quotidiana, ſaltem hodierna, quod e plantis, nedum animalibus deſumta ſimplicia pleraque, *citra praeparationem* adhibeantur. Vt enim taceam tot aquarum, eſſentiarum, tincturarum, extractorum, ſyruporum etc. ſatis operoſas elaborationes, complura ſane iſtorum ordinum ſimplicia ſi non ampliorem aliquam praeparationem, certe *contuſionem et in formam pulueris conuerſionem*, uel etiam plus minus longam *macerationem*, aut *coctionem* requirunt. Atqui tales, pro leuiculis et quaſi nullis habiti uulgo *praeparandi*

randi modi, non raro quoque ſufficiunt *mineralibus* utiliter adſumendis.

§. IIII.

Ecquid enim ad propinationem *terrarum medicinalium*, itemque *ſalium natiuorum*, dummodo ſatis purificatorum, nec non *cinnabaris natiuae*, *ſulphuris*, *ſuccini*, *ambrae* uſum, etiam internum opus eſt ſaepiuſcule, quam *ſola ſimplex contuſio in puluerem ſubtiliorem?* nonnullis uero iſtarum rerum, ut recte adſumi queant, *ſola* quoque *rudis* ſatisfacit *coctio cum aqua ſimplici*, exemplo lippis et tonſoribus hodie notiſſimo *antimonii* et *mercurii crudi*, quorum etiam utrumque *in ſubſtantia*, et argentum quidem uiuum, ſaltem purum, *citra omnem praeparationem*, uariis in caſibus exhiberi ſolent. Similiter *ſalia*, *nitrum* praecipue, tum et *alumen*, *ſal ammoniacum* etc. *ſola aquae extemporali ſolutione* accommodantur, partim internis, partim externis uſibus. *Thermae* autem et *acidulae aquae* omnem plane excludunt praeparationem, qua etiam *alii fontes ſoterii minerales* facillime carent, ſi forte *ſimplicem calefactionem* excipias, pro balneo. Quare non apparet, quo iure *mineralia*, moleſtioris praeparationis reſpectu, poſtponi ceteris ſimplicibus aliorum ordinum debeant.

§. V.

Quamuis autem ſic ſatis multa reperiantur *in regno minerali* εὐπόριστα, ſeu facile parabilia, quae hoc etiam titulo prae multis aliis ſeſe commendent, obiicere tamen quis porro poſſet, *quod nihilominus permulta*, *praeſertim metallica*, *ut medicis uſibus inſeruire queant*, *uiolentam in igne tractationem*, *non uno nomine ambiguam et periculoſam poſtulent*. Quae ſane praeconcepta opinio non ſolum olim, ſed in hunc usque diem ualde ſuſpecta reddidit illius generis medicamenta, odioſo *chimicorum* ti-

titulo.

tulo. At enim uero, cum apud peritiores homines, etiam non medicos, hoc tempore multum remiserit uanus ille metus, *uiolentae nimium et periculosae mineralium praeparationis, eorundemque propterea parum securi usus*, non admodum moror istam qualemcunque incusationem. Egent saepe non minus uehementi ignis impetu uegetabilia quaedam, ut nobiliores suas partes, olea, spiritus, salia elargiantur, aut in cineres redacta fixum sal reddant, perinde ut animalium partes, ossa, cornua, donec spiritus, salia uolatilia & olea, idoneasque medendo calces praebeant. Difficultas elaborationum eo minus iuste exprobratur artificibus, quo magis constans et uerum hoc permanet, quod ueteri est in prouerbio quasi: *ardua, quae pulcra!* Possunt autem ac solent multa praeparari etiam *citra ignis uiolentam accessionem*, praestantissima licet remedia, nemini non dicta *chimica*, u. g. *aethiops mineralis*, *crocus* item *Solis*, per solam agitationem diuturnam in mola philosophica, ab inuentore *Langelotto* nuncupata, in alcohol, siue puluerem tenuissimum redacto sic auro. Minoris adhuc laboris est ille *crocus Solis uulgatior*, qui per solam auri foliati coctionem cum quibusdam salibus, et his adfusa iterum aqua demptis, per lenem calcinationem perficitur. Ne plura eiusmodi commemorem remediorum paradigmata, quorum prolixiorem instituit recensionem singulari tractatu, haut ita pridem uulgato, et *paradoxi chimici sine igne*, inscripto D. D. *Ern. Gotth. Struue.* (*)

§. VI.

Sed neque hoc, salua ueritate concedi potest, *quod in uniuersum periculosae sint rerum mineralium praeparationes chimicae*, et hoc modo elaboratorum *remediorum* ambi-

(*) Ienae A. 1715. in 8.

ambigui effectus. Prudentem utique, peritum et accuratum artificem ista requirunt; a tali uero elaborata, et a medico, rite obseruatis dosibus, secundum indicationes praescripta, *non minus secure, adhibentur*, *quam quaeuis alia*. Sunt etiam non pauca e *mineralium*, quae chimice praeparata censentur, *medicamentorum* genere, in quorum dosi quantumuis incerta, et liberaliore, non facile peccari potest, exemplo *magnesiae albae*, *salis cathartici Angl. antimonii diaph. aethiop. mineralis* etc. In compluriun aliorum dosibus non maiori opus est cautione, quam in praescribendis *fortioribus purgantibus e regno uegetabili*, e. gr. helleboro, esula, colocynthide, asaro, gummi guttae, etc. quorum etiam nonnulla haut minorem in praeparando accurationem, quam *mineralia* ipsa postulant. Quid? quod ne scillam quidem, inter mitiora licet numeratam remedia, nisi praeparatam coquendo cum massa panis in clibano, praescribere ad usum internum communiter sustinent medici.

§. VII.

Missas itaque nunc facio qualescunque illas *obiectiones*, satis, ut opinor, confutatas, et propius accedo ad *thematis mei euolutionem*. Ne autem confuse id peragam, obseruare inprimis iuuabit istam generalem, dudum receptam et in §. II iam commemoratam *medicamentorum diuisionem*, in EVACVANTIA *et* ALTERANTIA. Vtrique generi, tanquam summo, plures substant ordines ac diuisiones, secundum effectus, quos edunt. Neutiquam uero constitutum mihi est, omnes ac singulos ordines istos, aut *genera subalterna remediorum* attingere, nedum singulas *usitatorum mineralium*, quae sub unoquoque comprehenduntur, in medium adferre; quandoquidem sufficiet pro instituti ratione, *e singulis classibus*

ordinibusue unum duntaxat alterumue ſpecimen ſimplicioris aut praeparati compoſitiue medicamenti depromere, ex quo patere poſſit, *quantum praeſtent illa mineralis proſapiae pharmaca reliquae materiae medicae;* quod ita quidem a L. B. accipi uelim, ut ſuo in genere, tam uegetabilis quam animalis regni medicamentoſis rebus, et ſingularum probatis uirtutibus nihil derogetur, *mineralium* uero tantum *eminentia* compareat.

§. *VIII.*

In eo autem ampliſſimo auxiliorum medicorum genere, quod *euacuantium* nomine uenit, et omnia ea complectitur, quae aliquid inutile aut ſuperuacaneum, naturaeque inimicum ex humano corpore per uias congruas educunt, nullis ſecunda ſunt EMETICA ſeu VOMITORIA, quae conceptam et cumulatam in uentriculo ſaburram, et cruditatem quamlibet, breuiore uia per gulam ſurſum eiiciunt. Huiusmodi remediorum ex uegetabili, multoque magis animali regno adeo parcus eſt apparatus, ut uel ſolo hoc reſpectu *praeſtantiam* ſuam abunde tueantur *mineralia.* Quae enim quondam e plantarum ordine frequentata fuerunt perpauca, helleborus ſcilicet albus, aſarum etc. ipſorummet ueterum medicorum teſtimonio ancipitem praebuerunt uſum, ac ſaepe fruſtrata ſunt artificis intentionem, aut plus aut minus, interdum etiam plane alienum agendo. Piget adducere iſta, quae *Celſus* (*) et alii priſcorum medicorum de ſua *radicula*, ceterisque uomitus ciendi rudibus plane praeſidiis tradiderunt. Aſt enim uero nuper admodum fama increbuit ex Nouo Orbe adductae *radicis Ipecacuannhae*, cuius ſane promta in uomitu ciendo energia, ſimul etiam ſecuritas tanta eſt, quae omnibus aliis ſimplicibus aut compoſitis eiusdem regni palmam praeripit.

§. *VIIII.*

(*) Lib. I. Cap. 3.

§. *VIIII.*

Hoc autem incommodi habet laudata tantopere *Ipecacuannha*, quod paulo diffusior sit, nec infra ℈j. aut ʒß. adulto homini cum fructu exhibeatur, sapore insuper ingrato amaricante praedita sit. Quae uero e *minerali regno* petuntur EMETICA, praesertim ANTIMONIALIA, longe sunt concinniora, et horum ex ordine instar omnium TARTARVS EMETICVS, quotidiano uulgatissimoque experimento, duorum aut trium granorum pondere adaequat istam Ipecacuannhae molem. Ne quid nunc dicam de *infusis*, *poculisque ex uitro et regulo antimonii*, de *sirupo* item et *oxysaccharo emetico*, multoque minus de *mercurio uitae*, antimonialis pariter indolis emetico, plurimum suspecto. Neque placet in exemplum adducere, quod ex *uitriolo* parare docuit *Angelus Sala*, *sal uomitorium*, tametsi hoc ualde commendetur a quibusdam in apoplexia, prudenter quidem limitato usu a Cl. *Iunckero* (*); quod ideo huc reponere uereor, quoniam perinde ut Ipecacuannha, largiorem dosin requirit, et nauseosum existit.

§. *X.*

In PVRGANTIVM stricte sumtorum, siue CATHARTICORVM *censu* amplissimus quidem e regno uegetabili est numerus, quorum alia leniter admodum euacuant, alia potentius aluum mouent, alia etiam uehementissime id praestant, ut in hoc genere nihil desiderari posse, aut aliunde petitis purgantibus nihil opus esse uideatur. Quamuis autem meritissimo suo celebrentur pharmaca ista, et *selectiora* imprimis e uegetabilibus *purgantia*, unum tamen e minerali regno adducere licebit MERCVRIVM DVLCEM communiter dictum, non minus uulgaris hodie praeparationis, quam utilitatis catharticum, et

 tam

(*) Med. pract. tab. 102.

tam ſecuritatis quam efficaciae reſpectu nulli ſecundum, tametſi ad illam nonnullorum uegetabilium, e.g. colocynthidis, elaterii, eſulae, gummi guttae etc. uiolentam agilitatem haut accedat, propter hunc ipſum *moderatiorem genium ſuum* eo magis aeſtimandus, quo magis tuto adhibetur, imbecillis etiam, et qui fortiora purgantia non facile ferunt. Eſt uero *peculiaris haec mercurii dulcis commoditas*, *quod peracta catharſi, aluum nihilominus apertam et liberam relinquat*, cum ab aliorum, praeſertim aloëticorum uſu, ordinarie moleſta admodum obſtructio aut ſiccitas alui emergat. Videtur autem iſtud beneficium, a *mercurio dulci* expectandum proficiſci a uirtute ſingulari glandulas inteſtinorum reſerandi et lympham earum attenuandi, blandeque prouocandi, unde etiam eſt, quod paruis, ſed repetitis doſibus idem *mercurius dulcis* ſaliuationem et ptyaliſmum proritet.

§. XI.

Hoc loco non alienum exiſtimo referre nobiliſſimum illum, quem *crudus* quoque, ſiue VIVVS MERCVRIVS praeſtat *uſum in uoluulo*, ſeu illa paſſione iliaca, quae ſeorſim oritur, quando inteſtini quaedam portio alteri praeter naturam intruſa, uiam tranſitumque excrementis et flatibus praecludit: In tali caſu tantum non deſperato, et in quo fortiſſima etiam purgantia parum aut nihil omnino proficiunt, ad *argentum uiuum*, tanquam ad ſacram ancoram confugere iubent medici, aliquot unciarum pondere, uel ad integram usque libram hauriendum, praeſtantiſſimo interdum euolutionis ac reſerationis euentu obſeruato, et aegrotante ueluti ex mortis faucibus liberato. Quoniam autem non tam interna (quam uocant medici) forma, ſeu purgandi facultate, ſed *exquiſita celerrimaque mobilitate ſua, cum ſumma graui-*

grauitate coniuncta, istum apertionis effectum producit, ideo medicamentis catharticis proprie et stricte dictis, illud accensere nolo.

§. *XII.*

Ceterum praeter *dulcem*, uix unquam satis laudandum *mercurium*, alia quaedam *ex hydragyro parata cathartica*, et olim in usu fuerunt & adhuc a quibusdam medicis commendantur, nominatim TVRPETHVM MINERALE, praecipitati mercurii specimen, cuius tamen uiolentiam haut immerito reformidant cordati uiri, quorum auctoritate inductus, idem et consimilia in exemplum praestantiae uereor proponere. Neque etiam opus est, ut solicite conquiram plura *e minerali regno parabilia purgantia.* Vnum tamen non possum praetermittere silentio, usitatissimum hodie SAL CATHARTICVM ANGLICANVM, a primo inuentionis et elaborationis loco EPSOMENSE nuncupatum, sed cui simile nunc passim conficitur, ac uili pretio diuenditur. Eximias dotes eius, quas non *euacuando* saltem, uerum etiam diuersimode *alterando* uariis in affectibus exerere perhibetur, sigillatim hic recensere non lubet: hoc autem libere fateor, id imprimis mihi displicere circa usum illius *salis* catharticum, quod larga admodum dosi ad ℥ß aut amplius exhiberi debeat, et adeo *uix referri queat inter medicamenta concinniora.* Sed enim uero eadem est conditio AQVARVM MINERALIVM; *quae purgando aut aliter euacuando ualent*, quod suam hanc utilitatem haut conferant, nisi affatim potentur, quod quidem multis mortalium ex communi praeiudicio et consuetudine, non modo non ingratum, sed in deliciis esse constat.

§. *XIII.*

Amplissimus hic se aperiret campus depraedicandi *uirtutes, quasi catholicas in euacuando, quorundam fontium,*

tium, praesertim THERMARVM, cuiusmodi praestantissimae sunt CAROLINAE *in Bohemia.* Verum enim uero, cum *de ipsarum praerogatiuis* haut ita pridem *singulari dissertatione* hic loci habita (*) prolixe tractatum sit, ad ipsam remitto L. B. et hoc tantum breuiter huc transfero, quod obseruatum fuerit, *in una quadam persona nullam, quae naturae ad corpus expurgandum usitata sit, officinam et uiam, istas thermas decenter administratas intactam reliquisse.* De aliis huiusmodi *fontibus soteriis* experientia docet, quod *non tam cathartica uirtute* polleant, quam *aliis quibusdam modis et uiis* utiliter euacuent, praesertim *per urinam;* quem quidem effectum licet aqueis particulis stricte dictis, utpote maximam omnino partem liquoris compositi constituentibus, potissimum deberi ultro agnoscam, non minus tamen quam purgandi facultatem, *a mineralibus salibus aquae immensis* adiuuari persuasum plane habeo.

§. *XIIII.*

Opportune nunc adgredior dicere de DIVRETICORVM, siue *urinam promouentium remediorum ex minerali regno praestantia*, posteaquam hanc ipsam *fontibus quibusdam*, isto etiam nomine salubribus, obiter quasi iam uindicaui. Exploratum uero satis est, *quod non una ratione agant diuretica.* Quaedam enim *diluendo*, ac uelut inundando massam sanguineam, operantur, laudato antea exemplo *aquarum:* quaedam *incidendo et attenuando humores, ac seorsim serum sanguinis, insimulque stimulando fibras motrices organorum, quae secretioni et excretioni urinae, inseruiunt.* Vtroque modo efficaciam suam exercent egregie SALIA quaedam MINERALIA, quorum supra iam facta est mentio, inprimis autem SAL COMMVNE appellatum, siue ex fontibus medi-

(*) pro Licentia defendente G. C. Ihl, 1719.

mediterraneis, siue ex aqua marina *coctum*, seu denique *effossum* e terra fuerit, cuiusmodi purum ac pellucidum, *sal gemmae* nuncupatur. Hoc genus salis, sicuti complurium *alimentorum* incomparabile praebet *condimentum*, et adeo per ipsum hunc diaeteticum usum salubritatem suam luculenter ostendit, ita *medicamenti* etiam *loco*, praesertim *diuretici*, prae multis artificiose compositis, quam utilissime adhiberi potest, et sine dubio frequentius adhiberetur, nisi propter usum quotidianum aut vilipenderetur, aut nimis familiare corporibus hominum existimaretur. Interim et *incidendi et stimulandi fine* omnino plurimum commodat, ideoque inter *digestiua* perinde ac *diuretica* paucis cedit; ut hodie derideantur, qui salis usum liberaliorem ad calculi generationem mirum quantum facere statuant, cum potius eadem hinc impediatur, et coagula mucoso-tartarea in renibus et uesica, beneficio alimentorum rite salitorum discutiantur, aut ad egestionem promoueantur.

§. XV.

Ceterum quia *sal commune*, *ac species eius*, hoc habent incommodi, si liberalius adsumantur, *quod desiccent nimium et calefaciant*, proptereaque tali iam intemperie laborantibus minus conducant. His in casibus aut substitui, aut saltem coniungi quam rectissime solet NITRVM. Hoc *sal*, quemadmodum *in refrigerando et qualemcunque sanguinis aestum contemperando*, par et simile in omni materia medica uix habet, sic seorsim *diuretico usu* eminet, in ipsa etiam nephritide, seu renum dolorifica inflammatione, aut a calculo, aut aliunde exorta, nec raro cum urinae difficultate aut suppressione coniuncta; quam illius utilitatem, iuxta cum aliis dotibus eximiis, pro dignitate sua, inter primos celebrauit

Illu-

Illuſtris D. *Stahlius* (*). Idem uero *nitrum* tanto maiorem meretur laudem, quanto minori indiget praeparatione, ac ſimpliciter *ſaltem depuratum* iterata ſolutione et coagulatione, compluribus antecellit, curioſe ac ſumtuoſe praeparatis, tum pro iſto fine indicato, tum pro aliis non paucis. Abſit interim, ut reiiciam *uarias nitri praeparationes aut compoſitiones*, ſingularibus quibusdam caſibus dicatas, et paſſim conſenſu medicorum prudentium receptas. Vnum hoc addo, quod tam *nitrum*, quam *ſalis communis*, ut aliae in uniuerſum ſpecies ſalium, optatius plerumque operentur propinata largo cum uehiculo aquae, pridem hoc inſinuante chimicorum axiomate; *ſalia non agere niſi ſoluta*; quod etiam *fundamentum* eſſe mihi uidetur *energiae aquarum mineralium medicatarum*.

§. XVI.

Poſſem hic etiam comminiſci *ſpirituum acidorum, qui artificio chimico producuntur ab iſtis ſalibus mineralibus*, ſimiliterque promouent diureſin; quo nomine haut nuper in uſum trahi coeperunt *ſpiritus ſalis communis, et nitri*, nec non *clyſſi* uulgo ſic nominati *minerales*, ad quorum ordinem quoque pertinet *tinctura nephritica Amelungii*, olim inter arcana diuretica et lithontriptica celebris. Non poſſum uero penitus omittere, quae *indolis* ſunt *magis alcalicae mineralia*, *diureticam uim pariter exerentia*. Haec uero niti uidetur alio fundamento, aliaque uia procedere, uidelicet *praecipitando ſerum ſanguinis per meatus urinarios*. Talia ſunt quaedam *lapidum* ſpecimina, utpote LAPIS IVDAICVS, LYNCIS et LVDVS HELMONTII dictus; quorum ſinguli in materia terreſtri *particulas fixiores ſalinas et ſulphureas* recondunt,

(*) **Obſ. chim. med. menſ. Mart.**

dunt, ac per has iſtam *lotium*, *eiusdemque coagula prae-cipitandi efficaciam* perficiunt. Ad hanc quoque claſſem pertinent SILICES CALCINATI, et LIQVOR ex iisdem praeparatus ſecundum *Glauberi* praeſcriptionem; qui tamen liquor, cum de ſale tartari participet, non poteſt reputari inter remedia mere mineralis proſapiae.

§. XVII.

Dum de *diureticis* ſermocinatus ſum hactenus, iisdem etiam iure adiungerem SVCCINVM et ex eo paratum *ſal*, communiter quidem uolatile dictum, ſed reuera non tale, ad acidorum uero genus accedens, uix unquam oleoſo-empyreumaticis particulis deſtitutum, eapropter *hyſtericum* magis, uti *ſuccinum* ipſum et *eſſentia* eius, multis aliis uirtutibus, ſeorſim EMMENAGOGA, ſiue uterum expurgandi facultate pollens; ut adeo ne hoc quidem in cenſu deſit *mineralium remediorum* praeſtantia. Ad idem genus referre non dubitarem, ex communi medicorum opinione, BORACEM, ſingulare *ſalis* ſpecimen, dummodo de natalibus ipſius ſatis mihi conſtaret; Interea obſcurae licet originis *boracem*, non ſolum *mineralibus* annumeratam, ſed etiam *ad partum*, *ſecundinas*, *lochia promouenda*, multum efficacem ab auctoribus innumeris laudari deprehendo. Neutiquam uero lubet immorari talibus, quae aut non ſatis explorata, aut originis ſaltem reſpectu dubia ſunt *euacuantia*, praeſertim *minus uniuerſalia*, cuiusmodi eſſe apparent ea, de quibus modo dixi, *emmenagoga*.

§. XVIII.

Progredior itaque ad *alios euacuantium auxiliorum ordines*, ac nominatim ad eum, qui continet DIAPHORETICA ſ. tranſpirationem fuliginum per poros cutaneos et *ſudationem prouehentia*. Vulgo diuiduntur haec in *uolatilia*

et *fixa:* Illorum perpauca uidetur subministrare *regnum minerale*, plura posterioris generis, *fixa* scilicet. Neque tamen penitus desunt *uolatilia*, e. gr. *succinata*, paulo ante commendata, tum et *clyssi minerales*, quibus etiam nonnulla e SVLPHVRE parata, ipsosque seorsim *flores* eius haut inepte adscripserim. Multo autem celebriora existunt *diaphoretica mineralia fixiora*, quorum agmen ducit ANTIMONIVM istud famosissimum DIAPHORETICI COGNOMINE, cum triplo nitro deflagratum et calcinatum, cuius etiam habetur in usu *magisterium*. Ab isto parum discrepat CERVSSA ANTIMONII, quae *ex regulo simplici*, eadem enchirisi paratur. Nec alienae est prosapiae BEZOARDICVM MINERALE dictum, quamuis artificio diuerso producatur, in compluribus chimico-pharmaceuticis libris legendo. Impetrauit autem hoc medicamentum illud nomen *ab analogia quadam effectus cum lapide bezoar*, in corrigendis ac per diaphoresin eliminandis miasmatibus malignis. Atqui eadem facultas communis fere est plerisque *diaphoreticis*, etiam simplicioribus, TERRIS praecipue iam olim ideo celebratis, cuiusmodi sunt BOLVS ARMENA et TERRA LEMNIA, quibus uno alteroue abhinc seculo substitutae sunt, non sine salutari successu, TERRAE SIGILLATAE uariae, curiosius quidem, ac fieri uulgo solet, eligendae.

§. XVIIII.

Dimitterem nunc totum genus *euacuantium e regno minerali remediorum*, nisi nefas esse putarem tacere penitus SALIVANTIA aut SALIVATORIA uulgo dicta, quae scilicet massam sanguineam per glandulas ductusque saliuales a uariis impuritatibus, e. gr. luis uenereae, scorbuti etc. concitato in buccam affluxu liberant. Talium uix quicquam peti potest ex uegetabili, nedum animali re-

gno;

gno; nisi uelis huc trahere *apophlegmatismos* et *masticatoria*, olim iam usitata, quae ex rebus acribus, e. g. pyrethro, staphide agria, sinapi, cubebis etc. componuntur, et forma aut liquida aut solida in os ingeruntur. Haec uero, qualiacunque sint, certum est, quod altius non penetrent, quam in uicinarum partium uasa et glandulas, circa caput et collum dispersas, et adeo *priuatorum* saltem *euacuantium* mereantur titulum. Consimilis fere est conditio *Tabaci* siue *herbae Nicotianae*, cuius masticatione pauci, fumo quam plurimi hodie ita utuntur, ut manifestum committant abusum, praeter omnem rationem ac salutarem effectum, illi nimium indulgentes. Ista uero, de quibus dicere incepi, *saliuatoria mineralis regni*, sunt quasi *uniuersalia*, totumque corpus permeant, et e quibuslibet partibus ac locis adigunt peccantem materiam, sub seri et lymphae uehiculo, ad fontes saliuales.

§. XX.

Dum generaliter id asseuero, unicum indigito HYDRARGYRVM, siue MERCVRIVM chimicis appellatum. Hic enim *crudus* etiam, uulgatissimo hodie experimento, facili artificio subactus *in unguenti formam*, per membra corporis exteriora, iterato actu *illitus*, sic sensim permeat totum corpus, et singulari quadam ratione serum sanguinis disponit ad depurgandum per ista glandularum incernicula. Non solum autem illo inunctionis modo, uerum etiam *per os in uentriculum adsumtus* MERCVRIVS, repetitis pariter dosibus eundem producit effectum saliuationis: ubi quidem *non tam crudus*, *quam chimice praeparatus*, cumprimis ille DVLCIS, alio ex capite supra iam commendatus adhibetur, ea quidem quantitate, qua aluum mouere ad deiectionem nequeat. Qui sane modus administrandi *saliuationem*, sic appellatam *mercurialem*, altero

fere commodior ac tutior exiſtit. Locum uero etiam inuenit tertius quidam modus obtinendi eundem effe-ctum, iniecta carbonibus candentibus CINNABARI, ex hydrargyro et ſulphure confecta, indeque hauſto *per nares et buccam fumo;* quae tamen ſaliuam proritandi ratio, ſicut ad illam ante notatam apophlegmatiſmorum prope accedit, ita prioribus poſtponenda et in ſubſidium ſaltem illorum adhibenda eſſe mihi uidetur. Minoris adhuc momenti apparet *cinguli mercurialis et emplaſtrorum conſimilium applicatio*, ſaltem manifeſte ſunt particularia ſeroſae humiditatis incitamenta. Firmum nihilominus permanet, *in ſaliuationis ciendae*, ad morbos etiam grauiſſimos ſanandos *negotio*, *mercurialia medicamenta cunctis aliis praeſtare.*

§. XXI.

Nunc autem ad *alteram medicamentorum claſſem*, ALTERANTIVM ſcilicet, progredior, oſtenſurus eorum quoque exemplis *multiplicem mineralium praeſtantiam.* Quod uero de *euacuantibus* ante declaratum fuit, quam *multa diuerſaque* ſint ipſorum *genera*, idem et longe magis adhuc de *alterantibus* obſeruatur, ut longum nimis foret, ſi ſingula ipſorum *genera ſubalterna* uellem percurrere. Quare ex aliquibus ſaltem eminentioribus *notatu digna quaedam ſpecimina* depromere mihi ſufficiet. Offerunt autem ſe primum ABSORBENTIA, quae dyſcraſiam humorum acrem, ſalinam, ad acidum praeſertim inclinantem obtundunt, inuertunt, praecipitant. Talium ſane *tam copia quam efficacia* plurimum excellit *minerale regnum.* Documento ſunt *Terrae* iam ſupra, licet alio reſpectu, nominatae, quibus ſeorſim accenſeri debet LAC LVNAE dicta, ſubtilioris margae ſpecies, et ipſa cumprimis CRETA, cuius potentiam in ſedando

dando ſtomachi ardore uel ſoda, in uulgus quoque nota eſt. Eandem *abſorbendi uim* poſſident nonnulli LAPIDES, ſed qui ad illam exercendam praeparatione et in puluerem conuerſione indigent. Prae ceteris eminet CRYSTALLVS MONTANA *praeparata*, quae, ut aliam fere quamlibet, ſic ſeorſim *biliofam acrimoniam*, potentius, quam quicquam aliud, edomat, proptereaque *in febribus biliofis, et ipſa cholera,* auxilium confert ſine pari, ut alia plura in aemulationem adducere ſuperuacuum foret.

§. XXII.

Non minus autem efficacia *medicamenta* ADSTRINGENTIA ſuggerit *minerale regnum*. Quid enim iſto titulo inſignius eſt ALVMINE? quod Graeci propter ipſam *in adſtringendo ſummam potentiam*, nuncuparunt στυπτηρίαν, ἀπὸ τοῦ στύφειν, i. e. *adſtringere*. Nolo de *internis uſibus* eius iactare multa, cum conſtet, quod perinde ut alia *adſtringentia*, *alumen* ſaepe ſupra intentionem, et non ſine periculo, operetur. Quantum uero *extrinſecus* ualeat, ex hoc ſolo ſatis aeſtimare licet, quod uix ulla *liquoris* aut *pulueris ſtyptici* uel *iſchaemi* compoſitio ſit, quae *alumen* non recipiat. Huic propinquum effectu eſt VITRIOLVM, non tam crudum et integrum, ſed *quod urendo et calcinando* acoris acidi parte quadam cum phlegmate ſuo orbatum redditur, et *capitis mortui* aut *colcothar* nomine uenit, iisdemque *externis in caſibus* impenditur, *ubi ſanguinem ſiſtere ac potenter adſtringere conuenit*. Inter ea uero, quae maiori cum ſecuritate, *adſtringendi cauſa*, *interne* adhiberi poſſunt, primas ſine dubio tenet HAEMATITES *lapis*, qui hoc nomen aeque *a cohibendo ſanguine*, atque ab huius colore, quem refert, accepiſſe uidetur. Omitto *lapides alios* eiusdem facultatis

participes; neque *cryſtalli*, hoc etiam titulo meritas laudes repeto; neque *terrarum* quarundam, *bolarium* inprimis, et quae *martialis* ſunt *naturae*, prolixam commendationem inſtituo, cum peruulgata ſit illarum in adſtringendo utilitas.

§. XXIII.

Contraria ſunt adſtringentibus APERIENTIA, quae uaſorum, ſanguinem alioſque humores continentium atque transmittentium meatus, oſtia, poros, a praeternaturali conſtrictione aut obſtructione liberant. Horum quaedam id efficiunt *directe*, tum ipſos humores attenuando, et in motum ciendo, tum uaſa continentia distendendo ac reſerando, qualia Graecis ἀναςομωτικὰ audiunt. Quaedam uero *per indirectum* (ceu uulgo loquimur) *aut per accidens aperiendi effectum praeſtant*, quatenus tonum fibrarum motricium in uaſis ipſis et circa haec intendunt, ad promouendam decumbentem lentamque in motu materiam. Poſterioris huius generis incomparabile praebent ſpecimen MARTIALIA, quamuis eorum quaedam, ſalibus acidis fixioribus imbuta, euidenter ſtyptica exiſtant, croci martis adſtringentis notiſſimo exemplo. Aliquibus autem *martialibus* ſatis iuſte attribuitur *aperientium* titulus, comprobante effectu. Haut exiguus eorum, tam *liquidae* quam *ſiccae formae*, eſt numerus, tincturarum nempe, eſſentiarum, ſiruporum, extractorum, crocorum numerus. Facile tamen adſtipulor *Sydenhamio*, qui ſua multiplici experientia fretus aſſeuerat (*) *nudam chalybis ſubſtantiam et felicius et breuiori temporis ſpatio curationem hypochondriaco-hyſtericae paſſionis abſoluere, quam ſi is, quouis ex iis, qui uulgo feruntur, modo fuerit praeparatus.* Hanc ſuam aſſer-

(*) opuſc. uniuerſ. p. m. 508.

ſertionem rationibus et exemplis abunde comprobat laudatus auctor, ut ad ipſum, uel ſolum, prouocaſſe mihi ſatis ſit. Ceterum, pro diuerſis caſibus et medendi ſcopis, alia atque alia *ex marte ſeu chalybe praeparata* eligi ac praeſcribi utiliter poſſe non negauerim; tametſi *limatura martis*, dummodo ſatis pura et ſubtilis, aut in pilulas cum extractis congruis, aut in bolum electuariumue cum conſeruis ſubacta, officium *aperiendi* ex uoto utplurimum praeſtare queat. Tribus quaſi tantum uerbis inſinuo, quod *acidularum aquarum uirtus aperiendi*, propter quam praecipue frequentantur, ab iisdem martialibus, in *pyritoſa matrice* contentis, ſalino-ſulphureo-ochreis particulis proficiſcatur.

§. XXIIII.

Anceps propemodum haereo, quaenam prae ceteris debeam producere *alterantium medicamentorum*, *e minerali regno genera*. Dicerem de REFRIGERANTIBVS, niſi AQVAE uel SIMPLICIS ac putealis, fluuiatilis etc. eminentiſſima hoc nomine utilitas non modo hominum, ſed etiam brutorum animantium naturali uelut inſtinctui eſſet familiariſſima. De NITRO autem iam ſupra §. XV. haut obſcure notaui, quantum *refrigerando* polleat; uti ſane hoc reſpectu, non ſolum in mineralium ordine, ſed et in omni materia medica, illud uix quicquam aequale nedum ſuperius habet. Notior quoque eſt, quam ut operoſa commendatione indigeat, *facultas refrigerandi ac ſitim ſedandi* SPIRITVVM ACIDORVM MINERALIVM, ipſius *nitri* tum et *ſulphuris* et *uitrioli*, e quibus, idoneo *liquore* potulento rite permixtis ac dilutis, parantur toto die efficaciſſima eundem in finem *iulapia*. Iuuabit autem breuiter duntaxat ediſſere quorundam *mineralium praeſtantiam in benefaciendo*

certis aliquibus humani corporis partibus atque membris, usu multiplici confirmatam.

§. XXV.

Inter CEPHALICA atque NERVINA excellit CINNABARIS, *natiua* quidem praecipue, sed huic citra errorem substituenda etiam *factitia*, saltem purior, tum et *antimonii*. Eius elementa, hydrargyrum scilicet ac sulphur, amicabili plane uinculo coniuncta, uelut a priori, conuenientem apprime cerebro et generi neruoso medicinam promittunt, non tantum absorbente leniterque discutiente humorum stases, uerum etiam *paregorica et roborante uirtute*. Seorsim *spasmodicis in affectibus* adeo conducit *cinnabaris*, ut pridem *Ioannes Crato* non situeritus eam appellare *magnetem epilepsiae*. Quotusquisque autem hodie medicorum est, quem fugiat *pulueris specifici cephalici Michaëlis* celebritas, qui pro basi habet *cinnabarim*. Huic non immerito adiungam SVCCINVM, eiusque praeparata uaria, quorum sub diureticis facta iam est mentio. Eadem uero *capiti catharrhis afflicto* incomparabilem afferunt opem, et alia, pro eodem fine frequentata, longe post se relinquunt. Ast enim uero, CARDIACIS destitui *regnum minerale*, crediderit forsasse aliquis? cui solam obiicio AMBRAM, quae *grysea* cognominatur, delicatissimam bituminum speciem, particulis sulphureis suauissimis, principio uitali roborando, ac reficiendo aptissimis praeditam; pro cuius indole intimius perspicienda remitto L. B. ad *singularem de Ambra Dissertationem* (*) *Spectatissimi Domini Decani*, D. IOAN. IACOBI BAIERI, Hospitis ac Promotoris mei plurimum colendi. Ceterum, quod in §. *IIII.* iam retuli, omnino multum facit ad *Ambrae* commendationem,

(*) quae habita est Ienae, A. 1698.

nem ipſam non egere laborioſa praeparatione; quandoquidem *in puluerem* tantum *contrita cum ſaccharo* ſcilicet, commode aſſumi poteſt; quamuis etiam non uno modo parata aut compoſita conſtet *ambrae eſſentia*, iisdem *uſibus cardiacis* et *analepticis*, quin etiam *cephalicis* inſeruiens.

§. XXVI.

De PNEVMONICIS, quae communiter uocantur PECTORALIA, et *pulmonum uitiis medentur*, et quae ex *regno minerali* poſſunt peti, parum quidem gloriari liceret, ſi forte SVLPHVR eiusque *praeparata* excipiantur. Quid autem notius eſt in praxi medica illo uſu, in aſthmate pituitoſo et tuſſi humida, quem *flores ſulphuris*, tum et *magiſterium ſiue lac ſulphuris*, *balſama* denique uariis menſtruis, e *ſulphure* parata, cumprimis *aniſatum*, conferunt? Taceo AVRIPIGMENTI et ipſius ARSENICI RVBRI, uulgo SANDARACHA dicti, applicationem *in ſuffimigio, ad pulmonum exulcerationes*, rite prius deterſas, efficaciter exiccandas: de quo remedii genere, mihi quidem haut leuiter ſuſpecto, legi poteſt *Chriſtianus Bennet* (*). Notabilis autem, quae uſum illum *auripigmenti* confirmat hiſtoria, occurrit apud *Riuerium* (**).

§. XXVII.

Nec plane deficiunt STOMACHICA *remedia mineralis proſapiae*. In *anorexia*, a debilitate caloris, non datur melius remedium, quam AMBRA, in ſubſtantia cum ſaccharo mixta, perhibente *Ioan. Michaelis* (***). Quod *Specifici ſtomachici Poteriani* nomine circumfertur operoſae prae-

D para-

(*) in tabidor. theatr. p. m. 146.
(**) centur. IV. append. obſerv. communicat. 2.
(***) prax. clinic. Part. I. Libr. IV. C. 2.

parationis medicamentum, ex nitro et ſulphure, hinc reguli antimonii martialis et auri acceſſione, uix puto tuebitur ſuum iſtum titulum, ſed magis ad aperientia reſpicere mihi uidetur. Cum uero haut minima uentriculi mala oriantur ab eius *cruditate acida* aut *bilioſa*, ad utramque corrigendam, adeoque *ardorem ſtomachi* auferendum, mirifice conducunt laudata in *§. XXI abſorbentia*, quibus hic adiicio LAPIDEM SPECVLAREM, qui alias ſelenites, et uulgo noſtratium Feder-Weiß dicitur. Huius nuper admodum, tanquam remedii in illis caſibus praeſtantiſſimi, fama percrebuit, uſusque tantus inualuit, ut plauſtratim quaſi a ſuis locis natalibus deuehatur in Auſtriam aliasque prouincias, ubi per diaetam uinoſam peccatur, et homines frequenter laborant *ſoda.*

§. XXVIII.

Quae *inteſtinorum morbis* ſuccurrant *mineralia*, implicite iam commemorata ſunt ſub ordinibus *purgantium, abſorbentium, adſtringentium,* et *aperientium.* Seorſim uero nunc ueniunt extollenda, *quae lumbricos inteſtinorum profligant aut necant*, graeco idiomate ANTHELMINTICA nuncupata; in quorum omni apparatu hactenus explorato, nullum eſt potentius HYDRARGYRO, cuius etiam *infuſum* aut *decoctum* cum ſimplici aut deſtillatis congruis aquis paratum, mulierculis etiam cognito experimento, *fugat aut occidit uermes inteſtinorum*, ſaltem teretes et aſcarides. Praeſentior autem eſt uirtus *mercurii dulcis*, tam in deſtruenda ſobole uerminoſa, quam educenda: Nec minus efficacem ſe praebet *aethiops mineralis*, eo ſpeciatim caſu praeferendus, ubi non opportuna eſt catharſis. Quando iſtum ſane nobiliſſimum *remediorum mercurialium uſum* notaui *anthelminticum*, ſtatim alius ſuccurrit aeque memorabilis, uidilicet *in auferendis*

pediculis, cuiuscunque ſpeciei, et *curanda ſcabie cognatisque ipſi affectibus.* Aſt enim uero cum nimis trita ac peruulgata ſit ea utilitas, non lubet eandem multis uerbis exaggerare. Omitto etiam *reliqua medicorum praeſidiorum genera*, in quibus excellunt RES MINERALES, attingere, cum feſtinandi neceſſitas urgeat, ut toti meae DISSERTATIONI faciam

F I N E M.

CORRIGENDA QVAEDAM.

Pag. 4. lin. ult. pro boc. leg. *hoc.*
Pag. 13. lin. 6. pro hydragyro leg. *hydrargyro.*
Pag. 14. lin. 16. pro immenſis leg. *immerſis.*
Pag. 16. lin. 17. pro comminiſci leg. *meminiſſe.*



NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE

DN. CANDIDATO

S. P. D.

IO. IAC. BAIERVS, D.

ET PROF. MED. PRIMARIVS

H. T. DECANVS.

Accessisti nuper ad Nos, eo potissimum consilio, ut eruditionis, in Academia Ienensi, assiduis Medicinae studiis Tibi comparatae, approbationem nostram publicumque testimonium reportares. Ego uero, et D. D. Collegae mei, *tanto faciliores in hoc Tuo desiderio nos praebuimus, quanto magis idoneum Te ad impetrandum deprehendimus. Etenim non solum doctrinae haud uulgaris indicia, uerum etiam, quae medicum apprime exornant, uirtutes, humanitas et modestia tua, beneuolentiam nostram adeo Tibi conciliarunt, ut festinanti etiam accommodaremus desideratam operam. Tu uero,* mi chariſſime, *rebus omnibus apud nos rite laudabiliterque confectis, in patriam reuertere bonis auibus, et* CLEMENTISSIMI PRINCIPIS Tui, *Mecoenatis incomparabilis, omniumque bonorum gratiam aucupare ex uoto, ut Medici gratiosi personam titulumque feliciter sustinere propediem queas, quemadmodum Nos fore omnino confidimus! Dab. AltorfI Nor. pridie Calend. Febr. A. S. R.* MDCCXXVII.

